



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

15. De ea, quæ ex propria defensione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

§. XV. De irregularitate, qua oritur ex propria Defensione excedente terminos, &c.

1. Quando quis aliquem deformat ad suam, suamque rerum notabilis momenti defensionem cum moderamine inculpatae tutelae, id est nihil faciens supra id, quod morali modo necessarium est ad ejusmodi defensionem, non evadit irregularis; sicut nec esset excommunicatus, si ob similem defensionem percuteret Clericum. Haec veritas, quamvis olim in dubium vertetur, nunc claris verbis habetur in jure. C. Si furiosus, Clement. de Homicidio.

Si furiosus (inquit Textus) aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censetur, qui mortem aliter vitare valens suum occidit, vel mutilat innoxiosum.

2. Quare qui ut propriam, vel etiam alterius innocentis vitam, vel membra servet, vel ut grave vulnus sibi vel eidem innocenti infligendum caveat, quique ut propria, vel proximi bona magni momenti, vel honorem & famam tueatur, alium occidit cum moderamine inculpatae tutelae, hoc est, alio remedio uti non valens, non est irregularis. Lege Gibal. de irreg. c. 4. §. 3. a. n. 10. & 18.

3. Quando tamen quis excedit limites suae defensionis, ut, si potens se defendere alio modo, v. g. verberando, vel mutilando, occidit, nihilominus, is irregularis erit ex delicto, quia deformat injuste, ut ex supra dictis patet. Erit autem hoc homicidium casuale, quia se defendens non intendit directe alium occidere, sed se defendere. Haec, & alia minutiora facile invenies apud Doctores; ut G. Hurt. l. c. diff. 10. Gibal. l. c. §. 2. Delug. & Lez. l. l. mox. citat. aliosque ab iisdem citatos, sed tres casus ad haec illustranda non sunt à me praetermittendi.

Parochus suos excitans ad Bellum justum.

4. Quidam Parochus, qua verbis, qua aeris campani pulsato signo, incitavit suos Parochianos, ut se defenderent ab incursionibus quorundam hominum, qui oppidum devastare intendebant, ex quibus oppidani multos occiderunt. Estne Parochus irregularis?

5. Respondeo Delugo l. 2. Resp. mor. dub. 9. affirmat, seu supponit, Parochum incidisse in irregularitatem. Lezana conf. 23. n. gat. Ego ex dictis manifeste colligo, non incidisse. Primo, quia ad defensionem innocentis Patriae pugnatum fuit. Secundo, quia Parochus neminem propria manu occidit, &c.

Sacerdos alium occidens ad propellendam injuriam.

6. V. Golinus c. 29. §. 2. n. 3. hic lepidè quaerit de quodam Sacerdote, qui occidit hominem, à quo arrepta Barba, trahebatur, & illum à se aliter extrahere non poterat, nisi eundem occidendo? Respondetur hunc Sacerdotem esse irregularem, quia non agebat de vita.

Verum Gibal. de irreg. c. 4. §. 3. n. 1. negat ejusmodi irregularitatem, & merito, quia gravissima erat ea injuria ad quam avertemdam licite potuit Sacerdos ille injuriantem occidere.

Occidens sibi insidias parantem.

7. Idem Gibal. ibid. duo mihi difficultia intrepide & sine distinctione affirmat. Primo, eum, qui sibi insidias parantem antevertit, occiditque, nec peccare, quia se defendit, nec consequenter esse irregularem. Secundo, eum, qui injustum innoxiosum fugientem incontinenti sequitur, occiditque v. g. post alapam impactam, nec peccare propter eandem rationem, nec irregularem fieri. Haec, inquam, duo sic absolute dicta mihi apparent difficultia. Nam ego l. 6. in Dec. l. 1. §. 1. n. 15. pro priore ex praedictis casibus, ne tunc peccaretur, requisivi, ut proxime, & in proximo parer quis alium occidere, & §. 3. n. 3. pro posteriore casu dixi, id non esse in praxi recipiendum. Relege locum.

Pars III.

Ut effugium periculum vite, evitare aliquando possum irregularitatem.

8. Breviter propono casum, quem proponit Delugo, de Inst. d. 8. §. 6. n. 86. Veneno infecti Petrus ficus comedas à suo inimico. Verum casu advenit amicus, & comedit, Petro vidente eoque, ne suum crimen proderet, tacente. Estne Petrus hujus amici injustus homicida, atque adeo irregularis?

9. Respondet Delugo ibid. non esse, quia ex una parte hujus amici mors praeter Petri intentionem proflus evenit, & ex alia, Petrus non fuit injusta causa mortis amici, quia cum tanto suo periculo manifestandi suum delictum, non tenebatur illum monere de veneno.

Vir occidens uxorem inventam cum adultero, &c.

10. Huc reduci id potest: pertinere enim videtur ad defensionem honoris proprii. Equidem de hac re quoad Excommunicationem, & tunc in flagranti crimine occidatur Clericus adulter, agitur in Trac. de excom. Si quis suadente, nunc vero loquendo de irregularitate, puto, propter similes rationes, quae ibid. dicuntur, esse probabile non incurere irregularitatem, de quo argumento plura habes apud Dianam.

§. XVI. De irregularitate qua oritur ex mutilatione.

1. Non solum, qui occidit hominem, verumetiam, qui ejus membrum aliquod mutilat, (ut saepe in Superioribus per occasionem insinuatum est) in poenam Irregularitatis incurrit, ejus proflus speciei, quae est ea, quae incurritur ex homicidio, ita ut sicuti ex homicidio injusto, sive voluntario, sive casuali incurritur irregularitas ex delicto, sic ex injusta simili mutilatione. Et sicuti ex homicidio justo incurritur à Ministris justitiae irregularitas ex defectu lenitatis, ita ex eadem simili justa mutilatione. Quare omnes modos, varietatesque, quae supra haberi diximus ab irregularitate ex morte secuta, dic pari modo, haberi ex mutilatione, nam propterea facillime utrumque comprehendimus sub uno nomine Deformationis.

2. Vnum tamen, vel alterum discrimen esse inter irregularitatem ex Homicidio, & mutilationem, mox apparebit §. 17. n. 25.

Porro illae duae quaestiones propriae sunt hujus loci. Primo, quid intelligatur nomine membri, cuius mutilatio irregularitatem inducit. Secundo, quid nomine mutilationis.

3. Adverte autem. Primo aliud esse loqui, de eo, cui ob mutilationem membrum aliquod deest. Secundo, aliud de eo, qui sibi ipse membrum amputat. Tercio, aliud de eo, qui alteri membrum mutilat. De Primo, & Secundo egimus supra c. 8. §. 1. & 2. hic autem solum de tertio agendum est. Relege locum, ubi maxime advertendum dixi, non valere argumentationem ex uno istorum ad aliud, ut ibi explicui.

Cujus membri mutilatio alteri facta irregularitatem pariat?

4. Membrum est corporis animati pars, non quaecunque, sed illa, quae proprium, ac distinctum munus gerit in corpore, juxta illud S. Paul. ad Rom. c. 12. Omnia membra non eundem actum habent, & juxta doctrinam Aristotelis de part. anim. l. 1. c. 5. dicentis, operationem in corpore esse propter membra, id est ex membris. Hinc recte ait Bartolus, in l. 4. num. 13. De pull. Ind. & l. Non sunt ff. De Stat. Homicid. statutum contra amputantem membrum, non urgere contra amputantem digitum, & habentem plures solito digitos, non dici habere solito plura membra.

5. Membrum igitur est, quod ex se in corpore est instrumentum propriae ac distinctae operationis. Partes autem membri

Nn 2

membrum